



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Epistola XXIX. Ioannis Papae VIII. Ad Landvlfhvm Episcopvm Capvanvm.
Eiusdem argumenti.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

gnia. Optamus gloriam, &c. Data xv. Kalendas Ianuarii, indictione decima.

EPISTOLA XXIX.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD LANDVLPHV M EPISCOPVM CAPVANVM.

Eiusdem argumenti.

Landulpho episcopo Capuano.

SICVT de sanctitatis tuæ deuotione ab olim erga hanc sanctam Romanam ecclesiam habita gratulamur, ita de infidelium & de inimicorum maleuolentia contristamur, nullatenus de omnipotentis Dei misericordia diffidentes, quod & tibi condigna recompensatio, & illis repentina confusio maturetur. Verum, vt condecet, reuerentiam tuæ fraternitatis laudabiliter amplectentes, & gratias agimus, & vt in bono perseuerare proficereque decertes, apostolica mansuetudine deprecamur: Quatenus qui in illis regionibus & sanctitate decoratus, & deuotione prælatus es, sis etiam contra tortitudinem regula; & sicut hæcenus fecisse probaris, contra infelices felicitas, & contra iniquos æquitas, atque lux contra tenebras: sciens illius qui de tenebris dat lucem splendescere, solatium nobis & vobis citius affuturum, & nimis diu afflictæ Christi ecclesiæ omnipotentem Dominum consulturum. Præterea, quod de adiutorio, sicuti & ingens necessitas omnimodis postulat, a nobis conferendo deposcis; hoc & nos meditamur, hoc volumus, & diuina gratia protegente, cito nos collaturos confidimus: quia iam calamitatem nobis commissi populi sustinere non possumus; iam deuastationem terræ istius aspicere non sufficimus; tantumque dolemus, vt dici non possit, si omnes artus nostri vertantur in linguam. Quapropter vellemus adhibito sanctitatis tuæ consultu, necessaria ad communem securitatem negotia præuidere: tamen præter id quod ad præsens difficile posse fieri, vt ita dixerimus, cernitur; cum primum se nobis posse præbuerit (quamquam imperialem exercitum nos cito habituros speremus) hanc ipsam necessitatem spiritali filio nostro serenissimo semper Augusto rursus significabimus, & vt quantocius nobis potenti virtute sub-

40 IOANNIS PAPÆ VIII.

Psalms. 144. ueniat, humillimis precibus exhorrabimur. Verumtamen prope est Dominus omnibus inuocantibus eum in veritate: voluntatem timentium se faciet, orationes eorum exaudiet, & saluos faciet eos. Data xlv. Kalendas Ianuarii, indiçtione decima.

EPISTOLA XXX.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD CAROLVM CALVVM IMPERATOREM.

Propter imminentiã tum a Saracenis, tum a quibusdam Christianis, grauissima pericula, enixe petit, vt promissa auxilia quamprimum mittat, & destinatos ea de causa legatos commendat.

Ioannes episcopus Carolo imperatori.

CVM nos in ecclesiasticis curis instantia quotidiana constringeret, & hinc inde populi nobis commissi continuus dolor, qui cuncta nostra interiora perculit, perturbaret, illud, vt ita dixerim, inter alia fleuimus, quod nunc vsque tam per terram, quam & nauigio, ad vos nostrum missum dirigere summo desiderauimus studio, vt nobis vestram prosperitatem desiderantibus & anxie sistentibus renuntiarentur citissime sanitates, sed omnino nequiuimus. Hinc fateor, fili carissime, tanta per vtrumque iter impedimenta timuimus, quantum & per paganos, & per iniquos Christianos, sine respectu diuini timoris, generari mala, quæ atas nostra non meminit, deploramus. Tanta enim sunt, vt intra mœnia vrbis reliquæ populi innumerata paupertate affectæ consistant, & omnibus forinsecus deuastatis ac in solitudinem reductis, nihil iam restet, nisi, quod Deus auertat, ipsius vrbis excidium. Sed & quantum nos Leo venerabilis episcopus, apocrisarius & missus sanctæ Romanæ ecclesiæ, communis quoque fidelis, a vestro seruitio rediens, de hoc quod a vobis retulit, post se vestrum exercitum contra Agarenos mittendum, latificauerat, tantum hucusque eundem nobis expectantibus, quod consecuti non sumus, validior mœror & ineffabilis angustia contristauit: quia tota Campania ab ipsis Deo odibilibus Saracenis funditus deuastata, iam fluuium qui a Tiburtina vrbe Romam decurrit, fur-

tim